Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ nonâ Januarii. 1705.

M. ANTONIO PEPIN, Doctore Medico, Præside.

An Sanguis sui perfector?

SANGUIS pretiosus est liquor, caloris nativi fomes & humoris primigenii: quôcumque influit, auram afflat verè vitalem & insitum ab ortu suscitat ac fovet vitæ germen & ad agendum impellit. Corporis stamina ducit ampliatque rore suo? ad debitam perducta magnitudinem exprimit ad vivum excisâ velut imagine & similium compendio studet perennitati totius quod sui dispendio alit. Nutritionis, accretionis, generationis auctor comminuit opes, ac substantiam impendit alioquin exhauriendam ni resarciatur. Illius jacturæ occurrit alimentum quod assumitur in dies, non unum in se nec simplex sed multiplex & discors incredibili varietate partium quæ triturâ evolvuntur, coctione succos cùm alibiles tùm rejectaneos producunt: illi quantùm utilitatis intrò servati, hi tantùm afferunt noxæ ni foras expellantur. Temerè credulus est & eruditionis ementitæ fuco delusus, qui retur adornari salivâ secùs ac potu alimenta, hospitante in ventriculi rugis fermento turgentia in subalbidum verti liquorem, quem bilis condicto quasi congrediendi tempore cum succo pancreatico magis elaboret in intestinis, Vestalis in corde micans ignis accendat derepente & in coccineum commutet. Tot miracula salivæ, bilis succique pancreatici triumviratui tribui solita, tot fermenta seu ingerendorum maturitati, seu egerendorum secretioni ingeniosè commenta credat Judæus apella, non ego, mirator simplicitatis naturæ tantam operum stupendorum varietatem uno sanguine perficientis.

QUANTÆ molis est ad vitam refici ac expurgari sanguinem, tantæ cudi officinas in quibus concinnetur, incernicula quibus defæcetur. Sui capit rudimenta in ventriculo, in omni vasorum genere expolitur: quàm lutulentus fluit è ventriculo in vasorum conceptacula rursùm in iis incudi reddendus, tam purus exit è vasis in partium intervalla incuneandus inibi ac cogendus. Puritatem nanciscitur colorum ope in quæ recrementa protrudit & per quæ foras expellit: in oris corporis velut fluminis sanguinei ripis providentissimè locata sunt ad eluendas sordes intestina, renes, pancreas, lien, hepar, tonsillæ, vua, lingua, palatum, nares, oculi, aures, cutis universa. Ut cerebro circumjecta sensuum organa pateant velut emissaria, stillantium tamen ex iis humorum fontem cerebrum ne putes. Malè creditum est septemfluum instar Nili, pervium vaporibus sursum elatis, imbris in modum per ossa cribriforme & cuneiforme deorsum mittendis: uni sanguini licet ad sacram palladis arcem ascensus & ex eâ descensus. Ventriculus & uterus functionum nobilitate commendabiles exitum non negant muco, bili, sero, sanguini malè feriato: pulmo ipse mirabilis anthlia reciproco motu aërem sanguini sufficit cum æthere vegetum, vietum cum halitibus ac sputis excludit. Conspirant amicè tot cribra societate officiorum, sui supplent sæpenùmero vices, loca sunt conferentia in quæ fæces cujuscunque generis è sanguinis contubernio tacitâ motûs lege divertunt.

SANGUIS flumen est multiplici alvei divortio sectum per canales innumeros quibus à corde diditur quoquoversùm, vel minimæ inspergitur parti, illuc unde scaturit constanter recurrens. Miræ fluiditatis est, per cæcos corporis mæandros, per dædala viarum diverticula aëris & ætheris intercurrentium adminiculo meabilis, temperati caloris pari coquentis operâ utilem & inutilem humorem, pari secernentis. Chyus compages alimentorum soluta gratâ vice liquoris musti æmuli sanguineum confluit in flumen, fervet cum eo simulque fertur ad extrema: fervendo tenuatur, subigitur & ita totus immutatur, partim ut induat purpuram sanguinis, partim naturam recrementi. Chyli portio textu, mole, figurâ, pondere motuque consimilis sanguini consociatur cum illo, fluxam ejus resarcit substantiam, languentem erigit ac intendit motum interiorem, unde calor vitalis vegetior & uberior: quidquid chyli superest dissociabile, petit sanguinis superficiem velut obex intestini motûs, circulari gradatim truditur ad vias convenientes vacuationi naturali quâ fæx omnis exigitur & sua sanguini puritas asservatur. Hæ sunt motûs leges omnino simplices quarum tenax necessitate naturæ sanguis seipsum perficit, concoquit quod concoqui, excernit quod excerni est habile. An interior sanguinis motus sit fermentatio necne, lis est sub judice: hanc dirimit in febribus violentus sanguinis motus qui fermentationis audit nomine & solis distat quasi magnitudinis gradibus à naturali: ut igitur naturalis sanguinis calor vertitur in igneum, igneus redit in naturalem; sic ex quo is calor existit, naturalis sanguinis motus interior abit in violentum, violentus redit in naturalem, qui proinde non secus ac ille fermentationis appellatione dignandus est.

FERMENTATIO & circuitus dispares inter se motus, in sanguine fæderati mirè sibi consonant, non officiunt. Hic ne dum infirmet calorem ex illo natum, indesinenter renovat perseverans, præpeditus illico restinguit: ille vicissim caloris stimulos pensat circuitûs incitamentis, singulas sanguinis partes disjicit, disjiciendo incidit, incidendo reddit mobiliores; diceres ex utroque factum sanguinis velut maris æstum fluctus agentem in littora præcipites. Qui debetur ex æquo circulari & intestino motui calor, varias subit annorum decursu vices, fugacior est in pueris, tenacior in adultis. Scilicet sanguis ad ejus ex quo fit alimenti, se componit indolem, liquescit molliori, duratur firmiore: quin & induit illius dotes & in corpus ipsum transmittit; hircum olet siquis Thebanus alter athleta caprinâ carne vescitur. Ut sanguis sapit instar alimenti, sic confusus est ex illo potuque liquor, materiæ quæ ipsis inest variæ multiplicisque ferax, aqueæ, terrestris, mucosæ, pinguis, salsæ & omnigenæ: diluta est sero sanguinis ut nitrum, sulphur, alumen, vitriolum, ferrum aquis medicatis. Quamcunque decumbat in partem divortium factura, singulorum jacit sementem excernendorum ut ut prodigiosa sint, quales tophi, vermes, calculi in cerebro, podice, linguâ, palato vel alibi, nubes in oculo, sobolescentes in corde polypi, miliiformes in cute sudores & ex iis concrescentes arenulæ, uno verbo, surgentes in corpore scirrhi & qualescunque stolones. Qui criminatur partes fructuum tot infelicium parentes, perinde facit ac puer qui terram verberat in quam cecidit. Gaudeat sorte suâ bene natus, cujus ea vis est sanguinis, is motuum nisus quo despumare se decenter valeat propriæ vindex puritatis indefessus.

QUISQUIS igitur naturam studet operantem imitari, non altius sapiat quàm quod sensus & ratio commonstrent. His si ducibus inquirat unde vita & vitæ tutela, noverit eorum face parentum semen propter hominem formandum, sanguinem propter alendum, utrumque vivens vitâ quam impertit. Ex felici seminum conjugio discet cur hominem homo generet, marem, fœminam, vel androgynum: parentes referant ore, moribus, ingenio nati, virtutum ac vitiorum animæ corporisque fiant hæredes ex æquo. Hominis natura labilis & caduca rueret citò, ni generatione propagata firmaretur alimento: inditi propterea ut veneris, sic famis & sitis sensus à cæteris discreti. Quæsita his instigatoribus cum potulentis esculenta rupto dentibus mixtionis vinculo, solutis partibus actuosis incipiunt in ventriculo ceu hypocausto calefieri, turgescere, elixari, adeò ut quô temperatiora æquabili principiorum concentu, calidior intra modum ventriculus, eò felicior sit prima coctio, eliquatior chylus, diditu facilior, caloris & spirituum ubertate generosior, sui cum sanguine miscellâ sanguis mox futurus. Qui cœpit in ventriculo motus interior chyli, scansili per ireratos partium impulsus ad cor motione incitatur, torrente sanguineo eum adipiscitur incitationis gradum quo utilium & inutilium cruditas emendatur, maturitas accersitur, secessio procuratur. Quamobrem in bijugo & concorde sanguinis motu sita est indocta, scitè velut agens natura cujus imperio corpus humanum gubernatur, coctiones & vacuationes naturales absolvuntur: cujus efficientiâ similiter vacuantur in adverso valetudinis statu quasia vacuari oportet: quippe ubi inofficioso colorum otio premitur excrementorum mole, irritabilis insurgit adversum ea, luctatur, tumultuatur, donec vim viribus exiens inimica tela retuderit, fregerit, expresserit, ivictrix tandem domesticum hostem profligarit, morborum proinde dicta jure medicatrix.

Ergò Sanguis sui perfector.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Michaël Ludovicus Reneaume de la Garanne, è Regiâ scientiarum Academiâ.
M. Ludovicus Demondiers Dugué.
M. Raymundus Jacob Finot, Scholarum Professor.

M. Claudius Berger, è Regiâ scientiarum Academiâ.
M. Philippus Bernardus de Bordegaraye.
M. Jacobus Simon Gilles de la Riviere.

M. Claudius Quiquebeuf.
M. Bertinus Simon Dieuxivoye.
M. Joannes Boudin, Serenissimi Delphini Principis Medicus primarius.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA ENGUEHARD, Constantiensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1705.